



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Dubium I. Cui concedatur remedium quorum bonorum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](#)

*desineres possidere, id illi restituas. Quia vero circa hoc plura dubia nascuntur: sit.*

## D U B I U M . b

*Cui concedatur remedium quorum bonorum?*

1087. **R**esp. 1. hoc remedium concedi pri-  
mo illi, qui *bonorum possessor* dicitur, de quo n. 955. nam inter bonorum possessorum, & hæredem est differentia; quod bonorum possessor *de jure prætorio*, hæres *de jure civili* succedit. Imò est discriumen inter *bonorum possessorum*; & *possessorem bonorum* (sola enim transpositio verborum significationem variare potest) quia bonorum possessor est ille, cui ad exemplum hæredis bona defuncti *jure prætorio* decernuntur: at possessor bonorum est, qui rem aliquam possidet; ut diximus n. 955.

1088. **R**esp. 2. idem concedi juris hæredi sive ex testamento, sive ab intestato, sic ut etiam bonorum possessores (quos scilicet Prætor ad bonorum hæreditariorum possessionem vocabat) & non tantum jure vocati, qui simpliciter hæredes sunt, eo nomine veniant; nam hodie plerique illi de jure Novellarii *legitimi hæredes* de jure prætorio habentur; ut notat Haunoldus tom. 1. tr. 3. n. 322. ratio autem datæ responseonis sumitur ex L. 1. C. h. t. ibi: *interdicto quorum bonorum non aliter possessor constitui poteris; quam si te defuncti filium esse, & ad hæreditatem, vel bonorum possessionem, admissum, probaveris.*

1089. **D**ices: leges, quæ interdictum *quorum bonorum* concedunt, communiter loquuntur de hærede *ab intestato*; ergo non recte dicitur idem competere hæredi *testamentario*. Confirmatur: hæredi *testamentario* sufficienter provisum est per remedium, quod illi conceditur in L. fin. C. de edito D. Hadiani tollendo; ergo non est, quod juris dispositio, concedens interdictum *quorum bonorum* hæredi *ab intestato*, extendatur ad *testamentarium*. Resp. esse valdè frequens, in Rescriptis sermonem accommodari casui proposito;

quo non sequitur intentionem rescribens restringi, quando aliud constat: hæredi autem etiam *testamentario* in casu, quo à capienda hæreditatis possessione impeditur, non minus voluisse providere Prætorem, quam ei, qui jure vocatur, suadetur ex eo, quod finis Prætoris fuerit succurrere quærentibus hæreditatem justo titulo, ne viâ actionis diu nimium ab ea obtinenda detineantur; & viâ *hujus interdicti* utilius procedant, quam jure testamenti, de quo edictum agit; cum sapientius non tam amore veritatis, quam protelandæ litis, vita in testamentis exhibitis quærantur. Confirmari potest ex L. 13. C. de *hæred. instit.* statim citanda.

1089. **R**esp. 3. hoc interdictum *quorum bonorum* concedi non tantum hæredi ex ase, sed etiam ita quæta, v. g. in triente, in *instituto*; contrarium videri posset dicere Castropalaus tom. 7. D. unic. de *Juſt. in genere*, p. 24. §. 4. num. 3. dicens, præter hæredem universalem, nulli alteri competere remedium possessionis *adipiscenda*, ex L. 1. ff. quorum bonorum; sed contrarium non est. Nam talis succedit titulus universalis, & recte dicitur hæres universalis, gaudens usu omnium actionum hæreditatis, ex L. 13. C. de *hæred. instit.* ibi: *eōs tantummodo omnibus hæreditatibus actionibus uti, vel conveniri, decernimus, qui ex certa parte, vel sine parte scripti fuerint.* Præsettum; cum L. fin. C. de *edito* D. Hadr. toll. id expresse concedatur hæredi scripto *ex ase, vel ex parte instituto*.

Præter dicta hot. 1. hæredem; postquam hæreditatem adivit, vi *hujus remedium*, possessionem ab alio, absque titulo, occupatam consequi; ratio *hujus* est, quia in hæredem aditâ hæreditate ratione, & titulo, transit *Dominium* absque traditione; non tamen *possesso*, ut supra dictum est, L. cum *hæredes*, de *acquirend. possess.* igitur pro acquirenda hæreditatis possessione, & rejiciendo possessori iniquo, ut poterit remedio *quorum bonorum*, ex L. 1. ff. & C. quorum bonorum; & §. *Sequens. Verl. adipiscenda. Instit. de interdicto.*

1090. Nöt. 2. cum, ut huic interdicto sit locus, semper adesse debeat Actio, & Reus, §. *summa autem, Instit. de interdicto.* adeoque aliquis contradicat, seu opponens

hens se hæredi, interdicto quorum bonorum non esse locum, quando bona hæreditatis, quorum possessionem querit hæres, à nemine detinentur, sed vacant; sic enim nullum habet obicem, quo minus auctoritate propria illorum possessionem audeat.

1093. Not. 3. hæredem agentem ex interdicto quorum bonorum, teneri ad probandum, ea bona, quorum possessionem querit, fuisse in possessione defuncti tempore mortis; nam in hoc fundatur ejus intentio; arg. L. in illa stipulatione, se Calendis; & seq. ff. de Verb. obligat. Et hoc procedit etiam de hærede, primū legitimato, qui scilicet vi legitimacionis potest succedere ex testamento, vel ab intestato.

1094. Not. 4. hæredem agentem ex hoc interdicto, si possessor ei opponat exceptionem Dominii non posse impediri, quo minus ei possessio in executione tradatur, nisi contradictor, seu exceptor in continentia probare possit Dominium. Hinc, si hæredi opponatur exceptio Dominii, quæ sit altioris indaginis, hoc est, quæ indigat discussione per testes, documenta, & instrumenta probatoria, non impeditur, sic Haunold. cit. num. 325. Ratio est, quia hoc iudicium est Summarium, adeoque non admittit exceptionem altioris indaginis, L. Si is, à quo, ff. ut in possessionem Legatorum, quæ est probatio Haunoldi.

1095. Ratio est 2. ex L. 2. C. de edito D. Hadri. tollendo, junctā gloss. V. quamvis, ubi dicitur, quod scriptus hæres in possessionem mitti soleat, licet contradictor existat, si causa, quam objicit, exigat altiorem inquisitionem. Ratio est 3. ex Salyculo in rubr. cit. L. 2. ibi: Vitium testamenti invisible non impedit hæredem mitti in possessionem nisi de vitio doceatur in continentali. Per vitium autem invisible intelligitur vitium, quod non prima fronte deprehenditur in ipso testamento, sed longa discussione; sic gloss. in L. 3. C. eod. junctā gloss. V. vitium, & V. prima figura. Ratio est 4. ex gloss. ad L. 3. C. eod. V. Contradictor, ubi dicitur, hæredem mitti in possessionem, licet Contradictor existat, nisi in continentali possit probare, quod objicit, & qui-

dem per argumenta manifesta, & non obscura, seu ambigua.

Ratio sumitur ex L. 3. §. Causæ 4. ff. 1096.

de Carboniano edito ibi: Causæ cognitio in eo vertitur, ut, si Manifesta calumnia appareret eoram, qui infantibus bonorum possessionem peterent, non daretur bonorum possessio. Summatim ergo (cum petitur ex Carboniano bonorum possessio) debet prætor cognoscere. Et si quidem absolutam causam invenerit, evidenter quæ probatur, filium non esse, negare debet ei bonorum possessionem Carbonianam: Si vero ambiguam causam, hoc est, vel modicum pro puerofacientem, ut non videatur evidenter Filius non esse: dabit ei Carbonianam bonorum possessionem. Ex hoc à contrario colliges, illius interdicti executionem impediri per exceptionem Dominii, quam Reus in continentali per argumenta non obscura, sed manifesta probare velit, ac possit; non autem alias, ut constat ex iisdem legibus cit.

## D U B I U M. II.

Contra quos concedatur interdictum quorum bonorum?

R Esp. concedi 1. contra possessorē 1097. pro hærede; 2. contra possessorē pro possessorē, L. 1. C. de interdicto quorum bonorum; not. autem, quod pro hærede quis possidere dicatur dupliciter. 1. cum est verus hæres, & habet titulum, v. g. testamenti, in quo est hæres Scriptus. Et de hoc agit titulus in C. & ff. de usucap. pro hærede. 2. qui nec est verus hæres, nec habet titulum, putat tamen se habere; Sichardus ad tit. 28. l. 3. C. de inofficio Testamento, L. 1. n. 2. Similiter possidere pro possessorē nihil est aliud, quam possidere, quin habeat ullam causam possidendi, nisi quia possidet; sic fur rogatus, cur rem furto sublatam possideat? aliud dicere non potest, quam quia possideo; ita Sichardus cit. num. 3.

Quæstio est, an detur, seii conveniti possint ex hoc interdicto, possidentes alio titulo bona hæreditaria? v. g. pro emptore? sunt, qui negant, eo quod in hoc interdi-

1098.

M m

cto